



Christianus filius fuit Friderici regis Daniae, qui post Christiernum ex fratre Iohanne nepotem, captiuum regem, senex ad regni gubernacula peruenerat. Itaque anno millesimo quingentesimo tricesimo tertio, Friderico mortuo, magni motus denuò per Daniam excitati sunt. Fridericus enim Palatinus, cui Dorothea Christierni captiui regis filia nupta erat, sibi regnum asserere, atque etiã armis uindicare statuerat. Id cum Episcopi & procerum aliqui cognouissent, Ioannem Friderici regis defuncti iuniorem filium, & Christiani fratrem regem declararunt. Verùm Christianus, cui iure tanquam seniori regnum debebatur, finitimo-

rum, praesertim uerò Gostau regis Suetiae, auxilio huiusmodi consilia impediuit, atque sibi regnum comparauit. illud quoque ob multas animi & corporis uirtutes foeliciter administrauit. Vt etiam Germanos uicinos sibi deuinctiores redderet, Dorotheam Magni inferioris Saxoniae ducis filiam uxorem duxit, atque ex ea Fridericum filium, qui hodie magna laude rerum in Dania potitur, progeniuit.